





FACES LUGUBRES
Quas
HONESTISSIMÆ, PUDICISSIMÆ,
OMNIQ; MATRONALIUM
virtutum decore decantatißimæ Matronæ BARBARÆ GERSOUVEN, viri quondam integerrimi & honestißimi Dn. PAULI EGHERI mercatoris p. m. apud Sedinenses primarij relictæ viduæ: ex matrimonio a secundo, clarißimi, consultißimi nec non multiplici rerum experientiâ celebratißimi viri Dn. HILARII PRITZII I. V. D. judicij principum, quod est Sedini, Prætoris officiosißimi & integerrimi, conjugis exsequijs, quæ ardentißimâ in Christum fide 25. Iunij die pie denata & 30. die ad Divum Iacobi solenni pompa terræ inhumata est.

PRÆFERUNT
& prælucent.
Quidam Studiosi ac amici condolentes
ANNO â NATO IMMANUELE 1614.

STETINI, Typis Duberianis.



PRIMA FAX.

Προσφώνησις defunctæ ad relictum Viduum mœstissimum.



AH! dulcis cessa mea plangere fata marite,
Et lachrymis viduum cõtemerare torum.
Nil lachryma prodesse valet mihi: corda sed u
Cura tibi dolor & luctꝰ obesse queũt (rẽs
Mors abitꝰ saltem fuit, &, mihi, janua vitæ:
Mortales obitum quem vocitare solent.
Orbis & hospitium quod ceu peregrina vel exul
Incolui, mutat patria vera poli.
Militiam secura quies, victoria pugnam
Excepit; peperit præmia magna labor.
Iusticiæ quoniam, post cursum ritè peractum,
Contigit è DOMINI pulcra corolla manu.
Aurea libertas pro mundi carcere; vita
Pro nece; pro curis gaudia parta mihi.
Non hæc invideas ô dilectissime conjux,
Quin potius mecum vivere juncta velis.
Non amissa tibi, modò sum præmissa: vocabunt
Cum pia te, parili, fata, sequêre modo.
Ergo pone modum luctu, vitæq; perennis
Spes fit mæsticiæ certa medela. Vale.

condolentiæ ergò
scribebat Iohannes Millies Schlaviens. Pomer.

SECVNDA.



Unt aliqui, vitæ quos insatiabilis ardor
Terrenæ, votis prægnantibus urget & angit.
Sæpius hinc satagunt naturam voce novercam
Incusare, homini spacium quod perbreve vitæ
Sit largita: feris contra numerosa supersint
Secula vivendi. Nam Phœnix, garrula Cornix
Et levipes Cervus mortalis secula vincunt
Terve quaterve viri. Quare perfectius illud
Esse genus clamant, quod sit perfectius annis.
Verum equidem fateor, quod sint animalia quædam
Quæ, cum vix homines superent tot lustra, tot illa
Vivendo superent ætatis secula longæ.
Verum errant graviter cum sit perfectio vera
Quæ non ætatis, sed quæ pietatis in alto
Consistit cursu: nam qui benè vixit is ipse
Est ætate senex, ceu, teste Syracide, constat.
Quare nequaquam temerè incusanda verenda
Est Natura parens & rerum provida mater.
Namq; Sophi dicunt: DEUS *& Natura benigna*
Nil faciunt frustra; quod & experientia testis
Edocet: ergo etiam brevitas æquissima vitæ
Hujus, erit nullâ frustrâ sic condita causâ.
Nam DEVS & Natura potens miserentur iniquam
Fortunæ faciem, quæ semper perpete gyro
Mortales hominum res versat & urget amaras.
Secula nam magnâ sunt aurea lapsa ruinâ
Succeduntq; illis non segni ferrea cursu.
Nec mirum est homines, qui mundi in flore creati
Aurea luminibus spectarunt secla beatis,
Tot vidisse senes in secula multa nepotes:

 Cum

Cum jam vix nati denati in limine vitæ
Exoptata cadant, mortales, vermibus esca,
Scilicet haut illo sceleris malesana libido
Tempore, sic totum caput exsinuavit in orbem
Arte nec occultâ fraus atq; Cupido nocendi.
Ergo illis vitam, pietatis præmia, longam
Contribuit; prolem quo sic pietate sequentem
Inducant simili, cœliq; rosaria monstrent.
Sed nunc, cum scelerum facies tot fanda nefanda,
E stygijs malefacta vadis excludat, & omnem
Conturbet mundum; summi clementia cœli
Et Natura parens minuit tot secula vitæ;
Et cum secla novem primi explevere parentes;
Vix nunc lustra novem possunt superare sequentes,
Sed causa in promtu est: irritamenta malorum
Nam facili possunt exemplo abducere justos
De statione viæ, quam fax sacra monstrat eundam.
Ergo pios tanto Deus & Natura periclo
Extrahit; ut vitæ saturi saturiq; laborum
Expirent placidè, ne tot futura malorum
Agmina comperiant, quæ, ceu Sol, Luna, polumq;
Syrmate sub nigro signant, metuuntur adesse.
Ergo VIR ô tantâ DOCTOR viduate maritâ,
Tuq; Adolescentum florentum biga relicta,
Pellite continuò lacrymas, suspendite curas,
Ambiguâ quæ vos hac tempestate fatigant.
Hoc decet, hoc fas est, hoc sancta vireta probabunt
Scripturæ expressæ, quæ nos gentilia luctus
Signa vetant fœdis imitari ululatibus oris.
Quin magis ardentes ad cœlum tendite vultus
Et grates offerte DEO, pro munere tanto;
Quod conjux materq; novis erepta periclis
In patriæ fines superatâ sorte, recessit.
Hic tandem immundum discit dediscere mundum

Sub pedibusq; videt nubes & sidera cœli!
Hic tandem discit mensis accumbere Divûm,
Ambrosiam Nectarq; avidis haurire labellis!
Hic inter superos dextris ex ordine junctis
Exercet choreas ac oscula mutua sentit!
Hic tandem à facie ad faciem venerabile Numen
Trinunum cernit veroq; repletur amore!
ô ter felicem felici sidere lucem
Quæ quoq; nostram animam carnis compage solutam
Excipiens quondam cœli in regione locabit!
Quam dum speramus, dum suspiramus avaro
Et gemitu & voto; voto annue Numen ab alto!

supposuit
Jacobus Brandenburgius,
Rupino-Marchicus.

TERTIA.



Ata tulere nimis properantia morte peremptam
Matronam, verâ quæ pietate fuit:
Quæ pietate fuit verâ, candore, nitore,
Quæ valuit verâ simplicitate jacet!
Ecce! jacet, dolor ecce! jacet, quæ nuper asylum
Suave viro mæsto, filiolisq; fuit!
Ergone tanta tibi, Morta effera, jura supersunt,
Et licet impunè tollere Morte pios?
Tantane cœlorum dedit indulgentia jura
Et leges subitâ falce movere probos?
Sed dedit: haud fallor: fædæ nam labis odorem
Extingui tali vult ratione DEUS.
Ergo VALE! & SALVE! quam Mors trucidavit apertè:
Talia fortè hodie nos quoq; fata manent!
Hisce VALE! donec, cœlo, te morte perempti
Conjunctis animis conveniamus. AMEN.

Apposuit.
Henricus Thomæ Riga-Livonus.

 QUARTA

QVARTA.

Quod proponat homo, summus quod Rector Olym-
Disponat, rectè regula trita docet: (pi
Omnis quicquid enim mortalis tētat, id ipsum
Pro libitu clemens dirigit ipse DEVS.
Hujus & exemplum Matronæ comprobat hocce,
Mors insperatò quam fremebunda rapit:
Hæc etenim nuper perchara gaudia natæ
Proposuit sacri læta parare thori,
Cunctipotens aliter Dominus disponit at illud
Et natæ matrem diripit ipse piam.
Disparitas quanta hæc, quænam discrimina rerum:
Pro thalamo tumulum filia mæsta parat.
Mirum hoc non dirum, nam sic pia fata tulerunt:
Omnes ad metam nos properamus eam.
Ergo modum luctus nunc ponite pignora chara
Non deerit vestrum qui relevabit onus.

DANIEL VVASSERFHVRER. S. P.

QVINTA.

ΠΆντα ἔσονται τοῦ θανάτου, τὰ γαμήϊα πάντα
Συντελέει θάνατος, πάντα τε ἐκνικάει.
Τοὔνεκα μὴ κατακλαῖε, Διδάσκαλε ἄθριέ, ἐστὶ
ξυνωρὸς θεσμὸσ, πᾶσ καταλύε βίον.
Μὴ γοάης, ἡ σὴ θαλπωρὴ Βάρβαρα σύζυξ,
Ἄκρῳ ἐν οὐρανῷ χάρματα εὔθυμ᾽ ἔχει.

BARBARA fIDa thorI CVstos, non barbara sCanDIt
Ast pIa LætItIIs CœLICa teCta petIt.
Michael Grunebandus Primslav-Marchiacus.

SEXTA.

SEXTA.



HEu quantis hominum rapidis agitata procellis
Vita riget miseris quam jacet ista modis.
Namq; brevi tristes mutantur tempore luctus
Nec longo lætus tempore risus adest.
Dum læti citius sensu sumus, aspera fata
Assurgunt, nobis ut nocumenta ferant.
Imo dum nostræ classis vehat aura secunda
Vela, rapax nostros mors jacet ante fores.
Testis erit tua nunc Doctor clarissime conjux
Nuper erat casti quæ decus usq; tori.
Quæ multos iusto producens tempore fructus
Fronde super viridi germina læta tulit
Adversæ gemuit simul & quæ tempore sortis
Et patiens tecum fata sinistra tulit.
Deq; tuâ pellens curarum nubila fronte
Suavi spiravit gaudia voce tibi.
Sed nunc rapta jacet dirâ (dolor heu!) tibi morte
Tristis qui quæ Senij dulce levamen erat.
Sic rerum facies tristis tristissime PRITZI
Sic Martis simul & Mortis in orbe furor
Improba sic rabies, sic crudelissima Martis
Sævitia ac lethi tempora nostra premit.
Ergo nunc fugias pertristia signa doloris
Altus ne cruciet te sine fine dolor.
Sed summo patiens discas confidere patri.
Nam memori mortem pectore ferre decet.
Nos etenim miseri per tot discrimina rerum
Iactati mortis sub ditione sumus.
Est animi tua nunc (fateor) pars mortua dulcis
Sed solùm terrâ mortua, viva polo.
Exspectans ubi te tristem, sobolemq; relictam
Possidet astrigeri regna beata poli.

Omne

Omne Dei laudes celebrans ubi cantat in ævum
Ipsius & perpes nomen honore colit.

Συμπαθῶς & dolenter scripsit
Petrus Grönenbergius Dammensis
Pomeranus.

SEPTIMA.



Asci, denasci cunctis contingit homullis:
Hoc matrona docet quæ tumulatur humo.
Nam postquā genita est generosâ stirpe paren- (tum
Floruit ut flores, quos tener hortus alit:
Floruit, & socijs matura adjuncta maritis
Incrementa sui cum probitate tulit:
Incrementa tulit generis; nam germina charis
Conjugibus thalamo de meliore tulit.
Sed postquam fati vis & fremebunda tyrannis
Irruit heu! subitâ morte necata cadit:
Sed cadit heu!! subito; ceu flos, quem Syrius æstu
Exussit nimio, sole cadente cadit.
Ergo homo mortalis mortalem discere sortem
Incipe, gloriolam temnere disce tuam.
Sic nunquam vanâ tumefactus imagine, nosces
Te flori fragili, sorte furente, parem.

Asscribebat
Christianus Fidelis Rupino-
Marchicus.

FINIS.

